



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

De Confessione Et Satisfactione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

DE CONFESSIONE ET SATISFACTIONE.

BONI viri faciliè iudicare possunt, plurimū referre, et de superioribus partibus, videlicet cōtritione & fide conferuetur vera doctrina. Itaq; in his locis illustrandis semper plus versati sumus, de confessione & satisfactionibus non admodum rixati sumus. Nam & nos confessionem retinemus præcipuè propter Absolutionem, quæ est verbum Dei, quod de singulis auctoritate diuina pronunciat potestas clauium. Quare impium esset ex Ecclesia priuatam Absolutionem tollere. Neq; quid sit remissio peccatorum, aut potestas clauium intelligunt, si quæ priuatam Absolutionem aspernantur. Cæterum de enumeratione delictorum in confessione supra diximus, quòd sentiamus, eam nõ esse iure diuino necessariam. Nam quòd obijciunt quidam, Iudicem prius debere cognoscere causam, priusquam pronunciat, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia ministeriū absolutionis, beneficium est, seu gratia, non est iudicium seu lex. Itaq; ministri in Ecclesia habent mandatum remittendi peccata, non habent mandatū cognoscendi occulta peccata. Et quidem absoluunt ab his, quæ non meminimus, quare absolutio, quæ est vox Evangelij remittens peccata & consolans conscientias, non requirit cognitionem. Et ridiculum est huc transferre dictum Salomonis: Diligenter cognosce vultum pecoris tui. Nihil enim dicit Salomon de confessione, sed tradit Oeconomicum præceptum patris familias, vt vtatur suo, & abstineat ab alieno, & iubet eum res suas diligenter curare, ita tamen, ne studio augendarum facultatum occupatus animus, abijciat timorem Dei, aut fidem, aut curam verbi Dei. Sed aduersarij nostri mirificè Metamorphosi transformāt dicta scripturæ, in quaslibet sententias. Hic cognoscere

significat eis audire confessiones. Vultus non externa
 conuersionem, sed arcana conscientia. Pecudes si-
 gnificat homines. Sanè bella est interpretatio, & digna
 illis contemptoribus studiorum eloquentia. Quod
 dicitur aliquid per similitudinem transferre præceptum
 patrefamilias ad pastorem Ecclesie: certè vultum de-
 bebent interpretari de externa conuersatione. Hæc simi-
 litudo magis quadrabit, Sed omittamus ista. Aliqua-
 ties fit in Psalmis mentio confessionis, vt: Dixi, confitebor
 aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu
 remissisti iniquitatem peccati mei. Talis confessio pec-
 cati, quæ Deo fit, est ipsa contritio. Nam cum Deo
 confessio, corde fieri necesse est, non solum voce, sicut
 fit in scenis ab histrionibus. Est igitur talis confessio
 contritio, in qua sentientes iram Dei, confitemur De-
 um iuste iratos, nec placari posse nostris operibus, Et
 tamen quarimus misericordiam, propter promissio-
 nem Dei. Talis est hæc confessio: Tibi soli peccaui,
 & tu iustificeris, & vincas, cum iudicaris, id est, fateor me
 peccatorem esse, & meritum æternam iram, nec pos-
 sum opponere meas iustitias, mea merita tuæ iræ. Iste
 pronuncio te iustum esse, cum condemnas & punis
 nos. Pronuncio te vincere, quando hypocritæ iudicant
 te, quod sis iniustus, qui ipsos punias aut condemnas
 bene meritos. Imò nostra merita non possunt
 opponi tuo iudicio, sed ita iustificabimur, si tu iustus
 es, si tu reputes nos iustos per misericordiam tuam.
 Fortassis & Iacobum citabit aliquis: Confitemini mihi
 delicta. Sed hic non loquitur de confessione
 sacerdotibus facienda, sed in genere de reconciliatio-
 ne fratrum inter se. Iubet enim mutuam esse confes-
 sionem.

Porro aduersarij nostri multos doctores recepti-
 mos damnabunt, si contendent, enumerationem delictorum
 in confessione necessariam esse iure diuino.

Qua

Jan. 5. 16.

Quamquam enim confessionem probamus, & quandam examinationem prodesse iudicamus, ut institui homines melius possint: tamen ita moderanda res est, ne conscientijs iniiciantur laquei, quæ nunquam erunt tranquilla, si existimabunt se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi facta illa scrupulosa enumeratione. Hoc certè falsissimum est, quod aduersarij posuerunt in confutatione, quòd confessio integra sit necessaria ad salutem. Est enim impossibilis. Et quales laqueos hinc iniiciunt conscientiae, cum requirunt integram confessionem? Quando enim statuet conscientia integram esse confessionem? apud scriptores Ecclesiasticos sit mentio confessionis, sed hi non loquuntur de hac enumeratione occultorum delictorū, sed de ritu publicæ poenitentiae. Quia enim lapsi aut famosi non recipiebantur, sine certis satisfactionibus, ideo confessionem faciebant isti apud presbyteros, ut pro modo delictorum præscriberentur eis satisfactiones. Hæc tota res nihil simile habuit huic enumerationi, de qua nos disputamus. Confessio illa fiebat, nõ quòd sine ea non posset fieri remissio peccatorum coram Deo, sed quòd non poterant satisfactiones præscribi, nisi prius cognito genere delicti. Nam alia delicta habebant alios Canones.

Et ex illo ritu publicæ poenitentiae reliquum habemus etiam nomen satisfactionis. Nolebant enim sancti Patres recipere lapsos aut famosos, nisi prius cognita & spectata poenitentia eorum, quantum fieri poterat. Et huius rei multæ videntur fuisse causæ. Nam ad exemplū pertinebat, castigare lapsos, sicut & glossa in Decretis admonet, & indecorū erat, homines famosos statim ad communionem. Hi mores diu iam antiquati sunt, Nec necesse est eos restituere, quia nõ sunt necessarij ad remissionem peccatorū coram Deo. Neq; hoc senserūt Patres, mereri homines remissionem

78. causa satisf.

ratio.

peccatorum per tales mores, aut talia opera, Quamquam hæc spectacula imperitos solent fallere, ut putent, se per hæc opera mereri remissionem peccatorum coram Deo. Verum si quis sic sensit, Iudaicè, & gentiliticè sensit. Nam & ethnici habuerunt quasdam expiationes delictorum, per quas sungebant se reconciliari Deo. Nunc autem more antiquato, manet nomen satisfactionis, & vestigium moris, quod in confessione præscribuntur certæ satisfactiones, quas definiunt esse opera non debita, Nos vocamus satisfactiones Canonicas. De his sic sentimus, sicut de enumeratione, quod satisfactiones Canonice non sint necessaræ iure diuino ad remissionem peccatorum. Sicut neq; illa spectacula vetera satisfactionum in pœnitentia publica iure diuino necessaria fuerunt ad remissionem peccatorum. Retinenda est enim sententia de fide, quod fide consequamur remissionem peccatorum propter Christum, non propter nostra opera præcedentia aut sequentia. Et nos ob hanc causam præcipuè de satisfactionibus disputauimus, ne susciperentur ad obscurandam iustitiam fidei, neue existimarent homines se propter illa opera consequi remissionem peccatorum. Et adiuuant errorem multa dicta, quæ in scholis iactantur, quale est, quod in definitione satisfactionis ponunt: fieri eam ad placandam diuinam offensam.

Sed tamen fatentur aduersarij, quod satisfactiones non profint ad remissionem culpæ. Verum fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas, seu purgatorij, seu alias. Sic enim docent, in remissione peccati Deum remittere culpam, Et tamen, quia conuenit iustitiæ diuinæ punire peccatum, mutare pœnam æternam in pœnâ temporalem. Addunt amplius, partem illius temporalis pœnæ remitti potestate clauium, reliquum autem redimi per satisfactiones. Nec potest intelligi, quarum pœnarum pars remittatur potestate clauium, nisi

dicant

dicant partem pœnarum purgatorij remitti, qua ex re-
 sequeretur, satisfactiones tantum esse pœnas redimen-
 tes purgatorium. Et has satisfactiones dicunt valere,
 etiam si fiant ab his, qui relapsi sunt in peccatum mor-
 tale, quasi verò diuina offensa placari queat ab his, qui
 sunt in peccato mortali. *Hæc tota res est comentitia,*
recens conficta, sine autoritate scripturæ & veterum
scriptorum Ecclesiasticorū. Ac ne Longobardus qui-
 dem de satisfactionibus hoc modo loquitur. Schola-
 stici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones. Nec anim-
 aduerterunt illa spectacula instituta esse tum exempli
 causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab
 Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, &
 rem prorsus politicā. Ideò superstitiosè finxerunt, eas
 non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum
 Deum valere. Et sicut alias sæpe incommodè, commi-
 scuerunt spiritualia & πολιτικά, idem accidit & in sa-
 tisfactionibus. Atqui glossa in Canonibus aliquoties
 testatur, has observationes institutas esse propter di-
 sciplinam Ecclesiæ.

Videte autem, quomodo in consutatione, quā ausi
 sunt obtrudere Cæsi. Maiest. probent hæc sua signemta.
 Multa dicta ex scripturis citant, vt fucum imperitis fa-
 ciãt, quasi hæc res habeat autoritatē ex scripturis, quæ
 adhuc Longobardi tempore ignota erat. Allegant has
 sententias: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Item, ex-
 hibete mēbra vestra seruire iustitiæ. Itē, Christus præ-
 dicat pœnitentiã: Agite pœnitentiã. Item, Christus iu-
 bet Apostolos pœnitentiã prædicare: Et Petrus præ-
 dicat pœnitentiã, Act. 2. Postea citant quædam dicta
 Patrum & Canones. Et concludunt: satisfactiones in
 Ecclesia contra expressum Euangelium, & Conciliorū
 & Patrum decreta abolendæ non sunt, quin imò abso-
 luti a sacerdote iniunctã pœnitentiã perficere debēt,
 illud Pauli sequentes: Dedit semetipsum pro nobis, vt

redimeret nos ab omni iniquitate, & mūdaret sibi
pulum acceptabilem, lectatorem bonorum operum.

Deus perdat istos impios Sophistas, tam scelestē
torquentes verbum Dei ad sua somnia vanissima. Quis
bonus vir non comoueat indignitate tanta? Christus
inquit: Agite pœnitentiam. Apostoli prædicant
pœnitentiam. Igitur pœnæ æternæ compensantur pœ
nis purgatorij. Igitur clauēs habent mandatum rem
tendi partem pœnarum purgatorij. Igitur satisfactio
nes redimunt pœnas purgatorij. Quis docuit istos
nos hanc Dialecticam? Sed hæc neq; Dialectica, neq;
Sophistica est, sed est Sycophantica. Ideo allegat ha
vocem: Agite pœnitentiam, vt cū tale dictum con
tra nos citatum imperiti audiunt, concipiant opinio
nem, nos totam pœnitentiam tollere. His artibus ad
nare animos, & inflammare odia conantur, vt con
ment contra nos imperiti, tollendos esse è medio ta
pestilentes hæreticos, qui improbent pœnitentiam.

Sed speramus, apud bonos viros has calumnias
rum profecturas esse. Et Deus tantam impudentiam
malitiam nō diu feret. Nec vtiliter consulit suæ dig
tati Romanus Pontifex, quōd tales Patronos adhibe
quōd rem maximam iudicio horum Sophistarum
mittit. Nam cū nos in confessione serē suam
ctrinæ Christianæ vniuersæ complexi simus, adhibe
fuerant iudices de tantis, tam multis, & tam varijs
gotijs pronunciatu, quorum doctrina & fides pro
tior esset, quā horum Sophistarum, qui hanc con
tationem scripserunt. Idq; te Campegi pro tua sapi
tia providere decebat, ne quid in tantis rebus ista
berent, quod aut hoc tempore, aut ad posteros ve
tur posse minuire Romanæ sedis existimationem.
Romana sedes censet æquum esse, vt omnes gentes
gnoscant eam pro magistra fidei, debet operam dare
docti & integri viri de religionibus cognoscant. Q

enim iudicabit mundus, si quando proferetur in lucē scriptum aduersariorum? quid iudicabit posteritas de his calumniosis iudicijs? Vides Campegi, hæc esse potissima tempora, in quibus Christus prædixit, plurimū periculi fore religioni. Vos igitur, qui tanquam in specula sedere, & gubernare religiones debetis, his temporibus oportuit singularem adhibere tum prudentiam, tum diligentiam. Multa sunt signa, quæ nisi prouideritis, minantur mutationem Romano statui. Et erras, si tantum vi & armis existimas Ecclesias retinendas esse. Doceri de religione postulant homines. Quam multos esse existimas, non tantum in Germania, sed etiam in Anglijs, in Hispania, in Gallijs, in Italia, deniq; in ipsa vrbe Roma, qui, quoniam vident exortas esse de maximis rebus controuersias, dubitare alicubi incipiunt, & taciti indignantur, quod has tantas res ritè cognosce-
re & iudicare recusatis, quod non explicatis ambigentes conscientias, quod tantum iubetis nos armis opprimi ac deleri. Multi sunt boni viri, quibus hæc dubitatio, morte acerbior est. Non satis expendis, quanta res sit Religio, si bonos viros leuiter existimas angi, si-
cubi incipiunt abigere de aliquo dogmate, Et hæc dubitatio non potest non parere summam odij acerbitatē, aduersus illos, qui cum mederi conscientijs debebant, obstitunt, quod minus explicari res possit. Non hinc dicimus, Dei iudicium vobis pertimescendū esse, Nam hoc leuiter curare Pontifices purant, qui cum ipsi teneant clauēs, scilicet patefacere sibi cælum, cum volunt, possunt. De hominum iudicijs, deq; tacitis voluntatibus omnium gentium loquimur, quæ profectò hoc tempore requirunt, vt hæc negocia ita cognoscantur, atq; constituantur, vt sanentur bonæ mētes, & à dubitatione liberentur. Quid enim futurum sit, si quando erup-
erint odia illa aduersus vos, pro tua sapientia facilè iudicare potes. Verū hoc beneficio deuincire omnes gētes

vobis

vobis poteritis, quod omnes sani homines iustum maximum iudicant, si dubitantes conscientias sanaritis. Hæc non ed diximus, quod nos de nostra confessione dubitemus, Scimus enim eam veram, piam & conscientijs vtilem esse. Sed credibile est passim multos esse, qui non de leuib; rebus ambigunt, nec tantum induunt idoneos Doctores, qui mederi conscientijs ipsorum possint.

Sed redeamus ad propositum, Scripturæ citatae aduersarijs, prorsus nihil loquuntur de Canonicis satisfactionibus & de opinionibus Scholasticorum, cui constat, eas nuper natas esse. Quare mera calumnia est, quod detorquent scripturas ad illas suas opiniones. Nos dicimus, quod pœnitentiam, hoc est, conuersionem & regenerationem, boni fructus, bona opera in omnia secula sequi debeant. Nec potest esse vera conuersio, aut vera contritio, vbi non sequuntur mortificationes carnis, boni fructus. Veri terrores, veri dolores animi, non patiuntur corpus indulgere voluptatibus, & vera fides non est ingrata Deo, nec contemnit mandata Dei. Deniq; nulla est interior pœnitentia, nisi foris pariat castigaciones carnis. Et hanc dicimus esse sententiam Iohannis, cum ait: Facite fructus dignos pœnitentiae. Item Pauli, cum ait: Exhibete membra vestra, seruamini iustitiæ, sicut & alibi inquit: Exhibete corpora vestra hostiam viuam, sanctam, &c. Et cum Christus inquit: Agite pœnitentiam, certè loquitur de tota pœnitentia, de tota nouitate vitæ, & fructibus, non loquitur illis hypocriticis satisfactionibus, quas fingunt Scholastici tum quoq; valere ad compensationem pœnitentiæ purgatorij, aut aliarum pœnarum, cum sunt adhibiti qui sunt in peccato mortali.

Ac multa colligi argumenta possunt, quod hæc citata scripturæ nullo modo pertineant ad Scholasticas satisfactiones. Isti fingunt satisfactiones esse opera

debit

debita, Scriptura autem in his sententijs requirit opera debita. Nam hæc vox Christi est vox præcepti, Agite pœnitentiam. Item, Aduersarij scribunt, confitentem, si recuset suscipere satisfactiones, non peccare, sed persolutorum esse has pœnas in purgatorio. Iam hæc sententiæ sine controversia, præcepta sunt ad hanc vitam pertinentia, Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ, Exhibete membra vestra seruire iustitiæ. Quare non possunt detorqueri ad satisfactiones, quas recusare licet. Non enim licet recusare præcepta Dei. Tertio: Indulgentiæ remittunt illas satisfactiones, vt docet cap. Cum, ex eo, de pœnitentijs & remission. At indulgentiæ non soluunt nos illis præceptis: Agite pœnitentiam, facite fructus dignos pœnitentiæ. Itaq; manifestum est, malè detorqueri illa dicta scripturæ ad Canonicas satisfactiones. Videte porrò, quid sequatur. Si pœnæ purgatorij sunt satisfactiones seu satisfationes, aut satisfactiones sunt redemptio pœnarum purgatorij, num etiam hæc sententiæ præcipiunt, vt anima castigetur in purgatorio? Id cum sequi necesse sit ex aduersariorum opinionibus, hæc sententiæ nouo modo interpretandæ erunt, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Agite pœnitentiam, hoc est, patiamini pœnas purgatorij post hanc vitam. Sed piget has ineptias aduersariorum pluribus refellere. Constat enim scripturam loqui de operibus debitis, de tota nouitate vitæ, non de his obseruationibus operum non debitorum, de quibus loquuntur aduersarij. Et tamen his figmentis defendunt ordines, venditionem Missarum & infinitas obseruationes, quod scilicet sint opera, si non pro culpa, tamen pro pœna satisfacienda.

Cum igitur scripturæ citatæ non dicant, quòd operibus non debitis pœnæ æternæ compensandæ sint, temerè affirmant aduersarij, quòd per satisfactiones Canonicas pœnæ illæ compensentur, Nec habent clauas

In datum pœnas aliquas commutandi, Item, parte
 pœnarum remittendi. Vbi enim leguntur hæc in
 pturis? Christus de remissione peccati loquitur, et
 ait: Quidquid solueritis, &c. quo remisso sublata
 mors æterna, & reddita vita æterna. Neq; hic loquitur
 de imponendis pœnis: quidquid ligaueris: Sed de
 t. nendis peccatis illorum, qui non conuertuntur.
 dictum Longobardi de parte pœnarum remitten
 sumtum est à Canonicis pœnis. Harum partem rem
 tebant p̄stres. Quanquam igitur sentimus, quod p
 nitentia debeat bonos fructus parere propter glori
 & mandatum Dei, Et boni fructus habet mandata
 vera ieiunia, veræ orationes, veræ eleemosynæ, &c.
 me hoc nusquam reperimus in scripturis sanctis, qu
 pœnæ æternæ non remittantur, nisi propter pecc
 purgatorij, aut satisfactiones Canonicas, hoc est, p
 pter certa quædã opera non debita, aut quod pote
 clauium habeat mandatum commutandi pœnas,
 partem remittendi. Hæc probanda erant aduersarij

Præterea mors Christi non est solum satisfactio
 culpa, sed etiã pro æterna morte, iuxta illud: Ero
 tua, o mors. Quid est igitur monstri, dicere, quod C
 sti satisfactio redimat culpam? Nostræ pœnæ redim
 mortem æternam? vt iam illa vox, Ero mors tua,
 ligi debeat, non de Christo, sed de nostris operibus
 quidem non de operibus à Deo præceptis, sed de
 dis quibusdam obseruationibus excogitatis ab ho
 nibus? Et dicuntur mortem abolere, etiam cum
 in peccato mortali. Incredibile est, quanto cum do
 has ineptias aduersariorum recitemus, quas qu
 pendit, non potest non succedere istis doctrinis do
 niorum, quas sparsit in Ecclesia diabolus, vt oppri
 ret cognitionem legis, & Euangelij, pœnitentiæ, &
 uificationis, & beneficiorum Christi. Nam de lege be
 cunt: Deus condescendens nostræ inærmittati, con

tuit homini mensuram eorum, ad quæ de necessitate tenetur, quæ est observatio præceptorum, ut de reliquo, id est, de operibus supererogationis possit satisfacere de commissis, Hic fingunt, homines legem Dei ita facere posse, ut plus etiã, quam lex exigit, facere possimus. Atqui scriptura ubiq; clamat, quod multum absimus ab illa perfectione, quam lex requirit. Sed isti fingunt, legem Dei contentam esse externa & civili iustitia, non videt eam requirere veram dilectionem Dei ex toto corde, &c. damnare totam concupiscentiam in natura. Itaque nemo tantum facit, quantum lex requirit. Ridiculum igitur est, quod fingunt nos amplius facere posse. Quamquam enim externa opera facere possumus, non mandata lege Dei, tamen illa est vana & impia fiducia, quod legi Dei sit satisfactum. Et veræ orationes, veræ eleemosynæ, vera ieiunia, habent præcepta Dei, Et ubi habent præceptum Dei, non possunt sine peccato omitti. Verum illa opera, quatenus non sunt præcepta lege Dei, sed habent certam formam ex humano præscripto, sunt opera traditionum humanarum, de quibus Christus dicit: Frustra colunt me mandatis hominum, ut certa ieiunia, instituta non ad carnem coercendam, sed ut per id opus reddatur honos Deo, ut ait Scotus, & competatur mors æterna. Item certus numerus precum, certus modus eleemosynarum, cum ita fiunt, ut ille modus, sit cultus ex opere operato, reddens honorem Deo, & compensans mortem æternam. Tribunt enim his ex opere operato satisfactionem, quia docent, quod valeant etiã in his, qui sunt in peccato mortali. Iam illa longius recedunt à præceptis Dei, peregrinationes, & harum magna est varietas, alius facit iter cataphractus, alius facit iter nudis pedibus. Hæc vocat Christus inutiles cultus, quare non prosunt ad placandam offensam Dei, ut aduersarii loquuntur. Et tamẽ hæc opera magnificis titulis ornantur, vocantur opera supererogationis.

Tribui-

Tribuitur eis honos, quod sint precium pro morte
 ternæ. Ita præferuntur operibus præceptorum Dei
 hunc modum lex Dei bifariam obscuratur, & quia
 tatur legi Dei satisfactum esse, per externa & civilia
 pera, & quia adduntur traditiones humanæ, quæ
 opera præferuntur operibus legis diuinæ. Deinde
 scuratur pœnitentiæ & gratia. Nam mors æterna
 redimitur illa compensatione operum, quia est occi-
 nec degustat in præsentia mortem. Alia res oppo-
 da est morti, cum tentat nos. Sicut enim ira Dei fide
 Christum vincitur, ita vincitur mors fide in Christo.
 Sicut Paulus ait: Deo gratia, qui dat nobis victoriam
 per Dominum nostrum Iesum Christum, non inquit,
 dat nobis victoriam, si aduersus mortem opponamus
 satisfactiones nostras. Aduersarij ociose speculatione
 tractant de remissione culpæ, nec vident, quomodo
 remissione culpæ, liberetur cor ab ira Dei, & a morte
 æterna, per fidem in Christum. Cum igitur mors Ch-
 sti sit satisfactio pro morte æterna, & cum ipsi ad-
 sarij fateantur illa opera satisfactionum esse opera
 debita, sed opera traditionum humanarum, de quibus
 Christus inquit, quod sint inutiles cultus: tutò pos-
 mus affirmare, quod satisfactiones Canonice non
 necessariae iure diuino, ad remissionem culpæ, aut
 pœnæ æternæ, aut pœnæ purgatorij.

Sed obijciunt aduersarij, vindictam seu pœnam
 cessariam esse ad pœnitentiam, quia Augustinus
 Pœnitentiam esse vindictam punientem, &c. Con-
 cimus vindictam seu pœnam in pœnitentia necessariam
 esse, nõ tanquam meritum, seu precium, sicut ad-
 rij fingunt satisfactiones, sed vindicta formaliter est
 pœnitentia, hoc est, quia ipsa regeneratio fit per
 mortificationem vetustatis. Sit sanè bellè dictum à
 pœnitentiam appellari quasi pœnæ tenentiam. Sed
 qua pœna, de qua vindicta loquitur Augustinus? ce-

de vera pœna, de vera vindicta, scilicet de contritione, de veris terroribus. Neq; hîc excludimas mortificationes externas corporis, quæ sequuntur veros animi dolores. Longè errant aduersarij, si veriùs pœnam esse iudicant satisfactiones Canonicas, quam veros terrores in corde. Stultissimùm est nomê pœnæ detorquere ad illas frigidas satisfactiones, non referre ad illos horribiles terrores conscientia, de quibus ait Dauid: Circumdederunt me dolores mortis, &c. Quis non malit loriatùs & cataphractus quærere templum Iacobi, Basilicam Petri, &c. quàm sustinere illam ineffabilem vim doloris, quæ est etiam in mediocribus, si sit vera pœnitentia.

At inquirunt, conuenit iustitiæ Dei punire peccatù. Certè punit in cōtritione, cùm in illis terroribus iram suam ostendit, Sicut significat Dauid, cùm orat: Dñe in furore tuo arguas me. Et Ieremias cap. 10. Corripe me Domine, Veruntamen in iudicio, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Hîc sanè de acerbissimis pœnis loquitur. Et fatentur aduersarij contritionem posse tantam esse, vt non requiratur satisfactio. Veriùs igitur contritio pœna est, quam satisfactio. Præterea subiecti sunt sancti morti, & omnibus communibus afflictionibus, sicut ait Petrus 1. Pet. 4. Quia tempus est incipere iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis, qualis erit finis istorum, qui non credunt Euangelio? Et vt hæ afflictiones plerumq; sint pœnæ peccatorum, tamen in pijs habent alium finem potiorum, scilicet, vt exerceant eos, vt inter tentationes discant quærere auxilium Dei, agnoscant diffidentiam cordium suorum, &c. sicut Paulus de se inquit 2. Corinth. 1. Sed ipsi in nobis sententiam mortis habuimus, ne confideremus nobis ipsis, sed Deo excitanti mortuos. Et Esaias ait: Angustia in qua clamant, disciplina tua est ipsis, hoc est, Afflictiones sunt disciplina, qua Deus exercet sanctos. Item: Afflictiones

N

propter

propter præsens peccatum infliguntur, quia in san-
 mortificant, & extinguunt concupiscentiam, vt re-
 uari spiritu possint, sicut ait Paulus Roman. 8. Cor-
 mortuum est propter peccatum, id est, mortificat
 propter præsens peccatum, quod adhuc in carne re-
 quum est. Et mors ipsa seruit ad hoc, vt aboleat
 carnem peccati, vt prorsus noui resurgamus. Neq; in
 in morte credentis, postquam fide terrores mortis
 cit, ille aculeus est, & sensus iræ, de quo dicit Paulus
 Aculeus mortis peccatum est, Potentia verò peccati
 lex. Illa potentia peccati, ille sensus iræ, verè est pe-
 donec adest, mors sine illo sensu iræ, propriè non e-
 poena. Porrò satisfactiones Canonice non pertinet
 ad has poenas, quia aduersarij dicunt, potestate clau-
 remitti aliquam partem poenarum. Item, clauis iura
 ipsos condonant satisfactiones & poenas, quarum ca-
 sa fiunt satisfactiones. At cõstat, illas afflictiones com-
 munes non tolli potestate clauium. Et, si de his poenis
 volunt intelligi, quare addunt, quòd in purgatorio
 porteat satisfacere?

Obijciunt de Adam, de Dauide, qui propter ad-
 terium punitus est. Ex his exemplis faciunt vniuersa-
 lem regulam, quòd singulis peccatis respondeant pro-
 priæ poenæ temporales in remissione peccatorum.
 Priùs dictum est, sanctos sustinere poenas, quæ sunt
 opera Dei, sustinent contritionem seu terrores, sub-
 iungunt & alias communes afflictiones, Ita sustinent
 qui proprias poenas à Deo impositas, exempli causa
 Et hæ poenæ nihil pertinent ad clauis, quia clauis non
 imponere, neq; remittere eas possunt, sed Deus si-
 ministerio clauium imponit & remittit. Nec sequitur
 niuersalis regula: Dauidi propria poena imposita
 igitur præter communes afflictiones, alia quædam pu-
 gatorij poena est, in qua singulis peccatis singuli
 dus respondent. Vbi docet hoc scriptura, non po-

nos à morte æterna liberari, nisi per illam compensa-
tionem certarum poenarum præter communes affli-
ctiones? At contra sæpissimè docet, remissionem pec-
catorum gratis contingere propter Christum, Christū
esse victorem peccati & mortis, quare non est assuen-
dum meritum satisfactionis. Et quamuis afflictiones
reliquæ sint, tamen has interpretatur præsentis pec-
cati mortificationes, esse, non compensationes æternæ
mortis, seu precia pro æterna morte. Iob excusatur,
q̄ non sit afflicus propter præterita mala facta. Itaq;
afflictiones non semper sunt poenæ, aut signa iræ, Imò
pauidæ cōscientiæ docendę sunt, alios fines afflictionū
potiores esse, ne sentiant se à Deo reijci, si in afflictio-
nibus nihil nisi poenā & iram Dei videant. Alij fines po-
tiores sunt considerandi, q̄ Deus alienū opus faciat, vt
suum opus facere possit, &c. Sicut longa cōcione do-
cet Esaias cap. 28. Et cū discipuli interrogarent de
cæco, quis peccasset, Iohannis 9. respondet Christus,
causam cæcitatē esse, non peccatum, sed vt opera Dei
in eo manifestentur. Et apud Ieremiam dicitur: Qui-
bus nō erat iudiciū, bibētes bibent, &c. Sicut Prophete
interfecti sunt, Iohannes Baptista, & alij sancti. Quare
afflictiones nō semper sunt poenę pro certis factis præ-
teritis, sed sunt opera Dei destinata ad nostram utilita-
tem, & vt potentia Dei fiat conspectior in infirmitate
nostra, Sic Paulus ait: Potentia Dei perficitur in in-
firmitate meā. Itaq; corpora nostra debent esse hostiæ,
propter voluntatem Dei, ad obedientiam nostram de-
clarandam, non ad compensandam mortem æternam,
pro qua aliud precium habet Deus, scilicet mortem
Filij sui. Et in hanc sententiam interpretatur Gregorius
ipsam etiam poenā Dauidis, cū ait: Si Deus propter
peccatum illud fuerat comminatus, vt sic humiliaretur
à filio, cur dimisso peccato, q̄ erat ei comminatus

NB.

impleuit? Respondetur, remissionem illam peccati factam esse, ne homo ad percipiendam vitam impeditur æternam. Subsecutum verò illud comminationis exemplum, vt pietas hominis etiam in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter peccatum Deus homini infligit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit, videlicet vt exerceatur & probetur iustitia istorum, qui sanctificantur.

Neq; verò tolluntur communes calamitates propriè per illa opera satisfactionum Canonicarum, hoc est, per illa opera traditionum humanarum, quæ ipsi sic valore dicunt, ex opere operato, vt etiam si fiant in peccato mortali, tamen redimant pœnas. Et cum obijciatur illud Pauli: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur à Domino, verbum iudicare intelligi debet de tota pœnitentia, & fructibus debitis, non de operibus non debitis. Aduersarij nostri dant pœnas contemptæ Grammatices, cum intelligunt iudicare idem esse, quod cataphractum peregrè ire ad S. Iacobum, aut similia opera. Iudicare significat totam pœnitentiam, significat damnare peccata. Hæc damnatio verè fit in contritione, & mutatione vitæ. Tota pœnitentia, contritio, fides, boni fructus, impetrant, vt mitigentur pœnæ, & calamitates publicæ & priuatæ, sicut Esaias capite primo docet: Desinite malè facere, & discite benè facere, &c. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, qual nix dealbabuntur. Si volueritis, & audieritis me, bonæ terræ comedetis. Nec est ad satisfactiones & opera traditionum humanarum transferenda grauissima & saluberrima sententia, à tota pœnitentia & operibus debitis, seu à Deo præceptis. Et hoc prodest docere, quod mitigentur communia mala per nostram pœnitentiam, & per veros fructus pœnitentiæ, per bona opera facta ex fide, non vt isti fingunt facta in peccato mortali.

Et hu

Et huc pertinet exemplum Ninivitarum, qui sua pœnitentia (de tota loquimur) reconciliati sunt Deo, & impetrauerunt, ne deleteretur ciuitas.

Quòd autem Patres mentionem faciunt satisfactionis, quòd concilia fecerunt Canones, diximus supra disciplinam Ecclesiasticam fuisse, exempli causa constitutam. Nec sentiebant hanc disciplinam necessariam esse, vel ad culpæ, vel ad pœnæ remissionem. Nam si qui in his mentionem purgatorij fecerunt, interpretantur esse nõ compensationē æternæ pœnæ, nõ satisfactionem, sed purgationem imperfectarum animarum, Sicut Augustinus ait venialia concremari, hoc est, mortificari diffidentiam erga Deum, & alios affectus similes. Interdum Scriptores transferunt satisfactionis vocabulum ab ipso ritu, seu spectaculo, ad significandam veram mortificationem. Sic Augustinus ait: Vera satisfactio est peccatorum causas excidere, hoc est, mortificare carnem. Item cohercere carnem, non vt compensentur æternæ pœnæ, sed ne caro pertrahat ad peccandum. Ita Gregorius de restitutione loquitur, falsam esse pœnitentiam, si non satisfiat illis, quorum res occupatas tenemus. Non enim verè dolet se furatum esse, aut rapuisse is, qui adhuc furatur. Tantisper enim fur aut prædo est, dum est iniustus possessor alienæ rei. Ciuilis illa satisfactio necessaria est, quia scriptum est: Qui furatus est, deinceps non furetur. Item Chrysostomus inquit: in corde contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hoc nihil contra nos facit, debent sequi bona opera pœnitentiæ, debet pœnitentia esse, non simulatio, sed totius vitæ mutatio in melius.

Item, Patres scribunt satis esse, si semel in vita fiat illa publica seu solennis pœnitentia, de qua sunt facti Canones satisfactionum. Qua ex re intelligi potest, quòd sentiebant illos Canones, non esse necessarios ad remissionem peccatorum. Nam præter illam solennem

pœnitentiam, sæpe aliàs volunt pœnitentiam agi, vti non requirebantur Canones satisfactionum.

Architecti confutationis scribunt, non esse tolerandum, vt satisfactiones contra expressum Euangelium aboleantur. Nos igitur hæcenus ostendimus, Canonicas illas satisfactiones, hoc est, opera non debita, facienda propter compensationem pœnæ, non habere mandatum Euangelij. Res ipsa hoc ostendit, si opera satisfactionum sunt opera non debita, quare allegant expressum Euangelium? Nã si Euangelium iuberet compensari pœnas per talia opera, iam essent debita opera. Sed sic loquuntur, vt fucum faciant imperitis, & allegant testimonia, quæ de debitis operibus loquuntur, cum ipsi in suis satisfactionibus præscribant opera non debita. Imò ipsi concedunt, in scholis sine peccato recusari posse satisfactiones. Falsò igitur hic scribunt, quòd expresso Euangelio cogamur satisfactiones illas Canonicas suscipere. Cæterùm nos sæpè iam testati sumus, quòd pœnitentia debeat bonos fructus parere, & qui sint boni fructus, docent mandata, videlicet inuocatio, gratiarum actio, confessio. Euangelium docere, obedire parentibus, & magistris, seruire vocationi, non occidere, non retinere diuicia, sed esse placibilem, dare egenis, quantum facultatibus possumus, non scortari, non mœchari, non cohercere, & refrenare, castigare carnem, non propter compensationem pœnæ æternæ, sed ne obtemperet diabolo, ne offendat Spiritum sanctum, licet vera dicere. Hi fructus habent præcepta Dei, & propter gloriam & mandatum Dei fieri debent, habent & præmia. Sed quòd non remittantur pœnæ æternæ nisi propter compensationem certarum traditionum aut purgatorij, hoc non docet scriptura. Indulgentiæ olim erant condonationes publicarum illarum obseruationum, ne nimium grauarentur homines

Quod si humana autoritate remitti satisfactiones & poenae queunt, non igitur Iure diuino, necessaria est illa compensatio. Nam Ius diuinum non tollitur humana autoritate. Porro cum nunc per se antiquatus sit mos, & quidem dissimulantibus Episcopis, nihil opus est remissionibus illis. Et tamen mansit nomen indulgentiarum. Et sicut satisfactiones non intellectae sunt de politica disciplina, sed de compensatione poenae: ita indulgentiae male intellectae sunt, quod liberent animas ex purgatorio. At clavis non habet potestatem, nisi super terram ligandi, & soluendi, iuxta illud: Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum in caelo. Quicquid solueris super terram, erit solutum in caelo. Quanquam, ut supra diximus, clavis potestatem habet non imponendi poenas aut cultus instituendi, sed tantum habet mandatum remittendi peccata, his qui conuertuntur, & arguendi & excommunicandi istos, qui nolunt conuerti. Sicut enim soluere significat remittere peccata, ita ligare significat non remittere peccata. Loquitur enim Christus de regno spirituali. Et mandatum Dei est, ut ministri Euangelij absoluant hos, qui conuertuntur, iuxta illud: Potestas nobis data est ad aedificationem. Quare reseruatio casuum politica res est. Est enim reseruatio poenae Canonicae, non est reseruatio culpae coram Deo in his, qui verè conuertuntur. Proinde rectè iudicant aduersarij, cum fatentur, quod in articulo mortis illa reseruatio casuum non debeat impedire absolutionem. Exposuimus summam nostrae doctrinae de poenitentia, quae certò scimus, & salubrem bonis mètib; esse. Et boni viri, si còtulerint nostram doctrinam cum confusissimis disputationibus aduersariorum, perspiciet aduersarios omisisse doctrinam de fide iustificante, & consolante pia corda. Videbunt etiam multa fingere aduersarios, de merito attritionis, de illa infinita enumeratione delictorù, de satisfactio-

nibus, ἕτε γῆς φασίν, ἕτε ἕγενῦ ἀπλόμυνα, quæ ne
quidem aduersarij satis explicare possunt.

DE NUMERO ET VSU SACRAMENTORVM.

IN XIII. ARTICVLO probant aduersarij, quæ
dicimus, Sacramenta non esse tantum notas pro
fessionis inter homines, vt quidam fingunt, sed ma
gis esse signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, pe
quæ mouet Deus corda ad credendum. Sed hic iubent
nos etiam septem Sacramenta numerare. Nos senti
mus præstandū esse, ne negligatur res & ceremonie in
scripturis institutæ, quotcunq; sunt. Nec multum re
ferre putamus, etiamsi docendi causa alij numerant a
liter, si tamen rectè conseruent res in scriptura tradi
tas. Nec veteres eodem modo numerauerunt.

Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum
Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est iu
dicare, quæ sint propriè Sacramenta. Nam ritus ab ho
minibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta
Sacramenta. Non est enim autoritatis humanæ, pro
mittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei insti
tuta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse ritus
docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sa
cramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quæ
est Sacramentum pœnitentiæ. Nā hi ritus habent man
datum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propriè
noui Testamenti. Certò enim debent statuere corda
cū baptizamur, cū vescimur corpore Domini, cū
absoluimur, quòd verè ignoscat nobis Deus propter
Christum. Et corda simul per verbum, & ritum mouet
Deus, vt credant, & concipiāt fidē, sicut ait Paulus: Fi
des ex auditu est. Sicut autem verbum incurrit in au
res, vt feriat corda; ita ritus ipse incurrit in oculos,

vt mo-